


CIMELIA

Qu

5960

Mikrofilm  
1196



CIMELIA

Qu

5960



5960

CIMELIA

29 IX 58

Z kolekcji rękopisów B. J.  
Z papierów po prof. K. Baddeckim.

112

27

27

Cim. Qu 5960

1861. 1000

29 IX 5

Act. T. xxvii. q. 26. n. 504.

Christ.  
Wenz. sinus.

56

N. M.

113

Johan. Rybinij Pol.

ГОДОЕРО  
RICORVM.

LIBER I.



*Ex Bibl.  
Boach. Com.  
Chreptowicz.*

TORVNII  
Typis Andreæ Kotenij  
Anno M. D. XCII.



INSIGNIA  
VRBIS TORVNIENSIS.



PORTAM VRBIS TORVNE PIE PROTEGE CHRISTE TRITURRAM,  
Qua patet vsq; bonis clauditur vsq; malis.  
Fascigerumq; potens huic tempus in omne Senatum,  
Pace, Sacris, Musis, robore, sorte, bea.

F. R.

Amplifs. Prudentifs. Integerrimo

# INCLYTÆ CIVITATIS

TORVNENSIS SENATVI DOMINIS CO-

LENDIS *Χαυρῆν ἢ εὐνοπατῆρς*



## PEREGRINATIONES LITERARIAS V-

elis sanè & optimo omnibus mundi aetatibus proposito insti-  
 tutas fuisse, neminem esse puto sanioris hominem iudicij  
 Proceres, qui inficias seret: Sed quotus quisq; corrupto no-  
 stro hoc seculo tam est, qui rectum earundem usum spectet, necdum assequi  
 satagat. Multi, qui licet tam stupido à natura ipsa comparati sunt  
 ingenio, ut ad nil prorsus *M V S I S*, ut aiunt, & Apolline dignum  
 idones esse videantur: caco tamen mentis errore ducti, magnum quippiam  
 en rerum cognitione & mundi consequenda experientia prestituros se autu-  
 mant, si in exteras aliquas excurrant regiones, oppidumq; & pagum oberrent,  
 atq; si in aliquam celebriorem inciderent metropolim, eiusdem cornificas  
 auro turres, portas, moenia, munitiones, plateas, vicos fora, porticus, Cui-  
 vias, structuras ædium magnificas, palatia, templa, altaria & alia id ge-  
 nus extrinsecus a perstitis contemplentur, ac perlustrant. Tales me-  
 hercule ydem plane qui domo exserant, domum redire solent, cælum saltem  
 iuxta Poëtam, mutant non animum. Ad istos proximè accedere  
 censuerim etiam illos, qui non male quidem à natura ipsa ad perquirenda  
 & dignoscenda res formati sunt, sed diuisis & rerum affluen-  
 tia qum, *...*, usq; adeo decipi se, & corrumpi patiuntur ut  
 exieram aliquam delicatorem studiorum causâ scilicet ingressi civita-  
 tem, nil aliud agent, quàm luxu, crapula, ebrietate, desidia, otioq;  
 diffuant, cellaria seorsum quàm Lectoria frequentantes, cum morionibus  
 & Parasitiis crebrius versantes quàm Doctores, & tandem nummis  
 absumptis, & somno vinoq; sepulta mente, tanquàm re præclare gesta,  
 omnis bonæ frugis inanis in patriam reuertuntur. Atq; in tales colli-  
 masse videtur Græcum illud: *Αἰχρὸν γὰρ δ' ἡγοῦ μένειν, κενεὸν τ' ἐπεισόδοι.*  
 Taceo hic, an hoc nostro perquam numerosam eorum multitudinem,  
 qui præcosibus nati ingeniolis, egregiè se perfunctos susceptis peregrin-  
 ationibus imaginantur, si nonnum quippiam & non antebac in patria  
 viciatum vanitatis genus retrò secum apportent. Quocirca multi fa-  
 tuberrimè neglectis exercitijs, ad Praestigiatorum & gladiatorum pa-

currunt,  
R.

*lastris, multi ad saltationum & exquisitarum chorarum magistros, multi ad Histrionicorum habituum artifices, multi ad varios fidium & cantationum epificos, & alias id genus temeraria inuentus pestes confluunt, tale aliquid inas arripendi animo, quo non Ecclesie, non Reipub. non communi veta generis alicui vsus esse, sed fuiti Gynaece, leuig. dispersata fecis hominum contubernio complasere possint, sollicita interea patria, qua Sespiones, qua Aristidas, qua Tullios expectabat, Sardanapalos, pròb dolor, excepit. Atq; tale, mea quidem sententia, reliquis ista quos iam retuls hoc nomine eissam esse videntur detersores, quod non modo ipsi peregrina libidinu & luxuriei vitia scientes volentiaq; imbibunt, verum eissam patriam bene moratam eadem labe, ad eam reuersi inficiunt. Accedo iam ad quartum peregrinationum genus, quod quò rariu eò laudabilius est, eorum videlicet, qui diuersors natura & ingenij beneficio adiuti, pigra ocia, desidians, voluntatis delitias, vanaq; mundi huius illecebras perosi, recta via & inas fesso labore ad solam virtutem, & scientiam rerum immortalè longis & arduis perfixa per ignes itineribus contendere sunt soliti, qui quidam genuinū peregrinationum affectu finem, sibi ipsis aternam nominis memoriam, patria verò infigne decus & emolumentum pepererunt. Sic πολυίτοπος ille Ulyssa Homericus decennial errore, tot marsa ac terras peruagatu est, de quo pulcherrimum illud Eulogium: Πολλῶν ἀνδρώπων ἰδέσθαι ἔπειθ' ἔγωγε ἔγωγε. Sic Homerus ipse ob suam Poesim ad Aegyptiorum sacerdotes peregrinatus est, ut ea que scribenda iam animo preconceperat, oculata fide ediceret. Sic Lycurgus in Cretam, Solon similiter in Aegyptum contemplanda sapientia, bonarumq; legum & recta apud suos polisia instituenda studio. Sic Anacharsis in Aegyptum, in Syoras Laocadamon, Metapontem, Crotonem: Herodotus in Persiam, Diodorus Siculus magnam Europa Asiaq; partem ( ille quidem Philosophia continuanda, isti verò Historia fideisus pertexenda gratia ) adiere. Sic etiam omnes ij, qui varijs orbis terra prouincijs oberrantes, non pauca ricta, non laceres circumspectant, sed viros sapientes & doctos adueniunt, docentes eos audiunt, situs & positiones locorum inuestigant, mores & instituta hominum atq; leges, qua anima sunt ciuitatum perscrutantur, atq; inde sequenda sequuntur, fugienda fugiunt, omnia deniq; ad hunc scopum dirigunt, ut postea patria utilitatem cum laude promouere, eisdemq; recta dicendo & recta faciendo, quam plurimum prodesse possint. Hec ex ἑξαδικαίων ἰστοριῶν istorum qua sequuntur occasione, de diauersis peregrinationum finibus pauca praefari visum est, ut consideretis*

Proceres, qui fiat, quod in tam frequentibus licet literaria inuenturū bo-  
 narum artium causa excursionibus, tanta tamen sit Respub. christiana vsq.  
 bus hominum idoneorum raritas. Quod me attinet, sic qualescunq, exte-  
 rorum meorum stinerum curriculum annis superioribus conficere labora-  
 ni, ne sacra Musis loca, & celeberrimos quosq, earundem sacerdotes per-  
 me arido, oleum ut asunt, & operā perdidisse videar, quod & meis erga eos,  
 & eorum in me monumentū suo tempore comprobari poterit. Huius autem  
 Hodeporicas Elegias, ex promiscua reliquorum Poëmatum meorum far-  
 ragine excerptas prolog, hic subditas vobis imprimis Ephori grauissimi an-  
 te alios merito à me discendas consecrandasq, sensui, parum ut maiori cura  
 dignitate & confidentia, sub laus. nominis vestri umbra ad eorum ad quos  
 scripta sunt, & aliorum item manu in diuersas orbis partes perueniant:  
 partem ut hoc pacto pro vestra ergà me beneuolentia gratitudinis meae alio  
 quod exet documentum. Vix enim dici potest, quantam amplexs, &  
 eximij Dn. Georgij Amandi Consulis & Burgraby Gedani cum esset (ubi  
 ego Patricij Collegij Professione & alijs luculentis Respub. munys obstridms  
 per aliquot annos continuos hactenus vixi) humanitatem ergà me sum ex-  
 pertus. Quanta deinde, cum hac ad honoratiss. Curia vestra munia ab eo-  
 dem totius ornatis, ordinis vestri nomine studiosiss. vocatus, venissem, &  
 ab eo ipso, & ab Amplissimo Praeconsule, Dn. Henrico Strobando cultiss.  
 mo hic Musarum omnium asylo, & a vobis deniq, omnibus, quanta, in  
 quam, cum dignitate, quanta fide & gratia fuerim exceptus & habi-  
 tus. Pro qua beneficentia vestra, quantum vicissim vobis debeam Proce-  
 res, re potius ipsa exprimere malo, quam malis hic me meaq, offi. ra com-  
 mendare. Accipietis interea clementer ac benignè primum hoc in uni-  
 sculū gratia & incepto. Ergà vos mentis meae tempungio, quod STE-  
 NAE meae loco sub felix. Anni imminentis anni 1593 auspiciū, apud  
 vos ut sit etiam atq, etiam rego. FAXIT DEUS ter maximum, ut prae-  
 ritus iste annus, vobis totiq, Respub. vestra feliciter finiatur, felicis nouus  
 hic inchoetur, felicissime idem decurrat ac continuetur. Valete, & virgeto  
 Proceres optime, & me non fecerit a vobis additum fide, sincero tadem pa-  
 terno illo affectu vestro, quo capillis porro complecti pergite. Exarat.  
 in m. discursus Cursalibus Nonis Decembris propitante ad finem  
 Anno Dn. 1592.

Speclabilibus Dominationibus  
 vestris intime deuotiss

Ioan. Rybinius inclytæ Reipub.  
 pub. Torun, Secretarius,



TYPOGRAPHVS LE-  
gentibus salutem.

**C**um vnā hic paginam vacuam superesse animaduertērem, non abs re visum est, si Elegiam hanc, quam Dn. Huldricus Schoberus Vir & Poeta optimus, Scholæ nostræ Torunensis Conrector dignissimus ad Authōrem perquā erudite scripsit, hisce adgerem. Cum enim inter cætera fidum eidem itineris ad nouam functionem suscepti votum contineat, non inconcinne inter ὁμοιομορφικὰ, locari eam posse affirmārim.





GRATVLATIO

AD DN. IOANNEM  
RYBINIUM VIRVM VIRTV.

te & doctrina præstantem amicum  
colendum.

SCRIPTA A

M. HVLDRICO SCHOBERO.



*T* mihi *RYBINIVS*, quo tempore sponsus  
(habebar,

*Fata* precabatur candidiora toro:

*Edebatq;* sui monumentum dulce favoris,

*Carmine*, quod pictum flore nitore erat.

*Consulis* eulogium quo percensebat *AMANDI*,

*Votaq;* pro nostro fuderat aqua toro:

*Sic* illi, fas est, gratamiam verba vicissim

*PIERIDES*, cultis auribus apta, ferant.

*Quod* mandanda viro secreta negocia nutrit,

*Alma CAMænarum* clara *TORVNA* putes.

*Illius* ingenio stellis usura secundis,

*Copia* pulcrarum quod decoravit opum.

*Ex* quo germana *Fides*, virtutis & artis,

*Argumenta* peti non aliena licet.

*Rebus* enim magnis sunt præficienda gerendis

*Virtus*, doctrina splendor, aperta fides.

*Qui* tribus his eguit, vix huic se credere mater

*CYRIA* curarum, plena labore, solet.

*Iam*

Iam porrò morum felix & sana venustas  
 Prodit honorati cetera dona viri.  
 Ergo TORVNE NSI grator populog, tibiq;  
 ILLI quòd possis te superame frui.  
 Sed TIBI quod CHRISTO musaueris auspice sedem:  
 Ducentemq; sequi non vereare DEVM.  
 Qui sedem, vi aue DEO genus auspice mutat,  
 Felix, infelix, qui prohibente DEO.  
 Grator & uxori, quod te cum prole sequatur:  
 Collegis etiam grator, amice tuus.  
 Sæpè cathenati fidus collega laboris  
 Optatus, qui nunc ecce vocatus adest.  
 H. spicio meritis recipi, PARNASIVS olim  
 Ille senex, Phæbi quo decus usus erat.  
 Sic voco PYRNE SIVM, quo Mæcenate, CAMANIS  
 Maior in his oris obueniebat honor.  
 Huic tu succedis PARNASIDOS accola Rupis,  
 Magnaq; Romana gloriæ, IANE, Lyra.  
 Quis neget has ades MVSARVM numine plenas?  
 Quis neget has NYMPHIS ter tribus esse sacras,  
 Carminis hic vixit fautor, nunc carminis auctor  
 Vivit, & vs vivat, secula multa, precor.  
 Apprecor & reliquas, vita quibus indiget usus.  
 A CHRISTO, nostra fonte salutis, opes.



IN DE



# AD CLARISSI.

MVM VIRVM D. IOAN-

NEM IACOBVM GRYNAEVM

S. Theol. Doctorem amicum  
summum.

*De Peregrinationibus Rhenanis.*

## ELEGIA I.



VREA iam decies sumpsit noua  
(cornua Luna,  
Et pleno decies orbe reuiste  
(humum.

Finibus à quo nos gelidis Erys  
(manthidos Vrsæ  
Egressos Panoris culta serax  
(què fouet.

Antiqua Panoris Nympharum sede superba,  
Heroaꝝ pij mente beata Ducis.  
Singula iamꝝ datum est nobis vidisse, voluptas  
His quæcunꝝ locis magna videre fuit.  
Inprimis cinctam lapidosi montibus urbem,  
Sede DVCVV claram Pieridumꝝ choro.  
Tum quoꝝ consecrata piæ monumenta cateruz,  
Siue tua hæc ô Mars seu tua Phœbe fu it.

B

Busta

Busta Palatinæ præciosa & splendida gentis,  
Heu mihi quantum artis quidue laboris habent.  
Sed tua præ reliquis Indis decorata lapillis  
Qui iunctum Henrico nomen Othonis habes.  
Vix Ducis Æmatij solerti sculpere corpus  
Artifices docta sic potuere manu.  
Hic velut ora Ducum augusto pulchro ordine templo  
Mygdonio mirè marmore cæsa nitent.  
Quid Clarior numerem Proceres? hic summe Rudolphe  
Agricola, ô Phrisium gloria summa, cubas.  
Et tu Nympharum laus & decus ipsa tuarum,  
Prognata Ausonij Fulvia docta iugis,  
Et tu multiugis Strigeli note Camænis,  
Sueuiaci meritò lausq; decusq; solis  
Hic quoq; cum reliquis quos aureus arsit Apollo,  
Mortuus ast viuens laude Boquine iaces.  
Nec te Lotichio cum Vate tacebo Mycille,  
Dulcis Apollinæ cultor vterq; lyræ.  
Quorum non cineres sed viuos cernere vultus,  
Gaudia mille mihi commoda mille forent.  
O vtinam vestri vel summam carminis vmbra  
Assequar, ô diua pectora bina fide,  
Nomina fortassis essent maiora Rybini,  
Cuius adhuc imò sub pede fama latet.  
Hic quoq; tu VVidebrame recens tumulate quiescis,  
Non vidisse sed & quem coluisse sat est.  
Iamq; ego finitimas Panoris tibi diua per vrbes,  
Atq; iui cupido tecta per ampla pede.  
Vrbs antiqua viget: Nemetum dixere coloni  
Prisci, nunc Spiræ nomen adepta nouum est,  
Hanc toties vidi, quoties exponit in anno,  
Vrbs merces Moeni gurgite munda suas,  
Et binis

Et binis mirabar opus his turribus alte  
 Conspicuum, celsæ rectaq; lata domus.  
 Magnum opus, & cuius quondam structura potentes,  
 Cæsaribus Latij attenuârat opes.  
 Quinetiam medijs amplæ penetralibus ædis,  
 Ex illis quosdam saxa cauata tegunt.  
 Vestibulum antè ipsum quâ porticus imminet, extat  
 Mons sacer in viridi cuiq; videndus humo.  
 Hortus & è solidis eiusdem in vertice saxis,  
 Cumq; suis IVdas proditor ille DEI.  
 Vna & continua sculpta extant omnia rupe,  
 Et caua sub scissa mole sacella latent.  
 Te quoq; magna Themis tuaq; atria Tentonis ora,  
 Hic vbi conspexi sceptrâ suprema tenes.  
 Tu mediâ hinc atq; hinc Procerum cingente corona  
 Diua sedes; iuris iure cacumen habes,  
 Te sternente iacent, teq; attollente resurgunt,  
 Summi non tantum turba profana Duces.  
 Digna oculis herclè spectacula, dignus & ipse,  
 Decreti modus est quem DEÂ ferre soles.  
 Non grauiâ hîc referam Vatis monumenta Guidonis,  
 Signa vetustatis nec numerosa piæ.  
 Quæ vidisse fuit, nuncq; est memorare voluptas,  
 In verbis visæ gratia magna rei est.  
 Te quoq; Rhene canam fluuiorum prime, sed obstant,  
 Quas Ister rapido gurgite voluit aquæ.  
 Tu findis densas innato robore terras,  
 Atq; nouas quæris per loca sicca vias.  
 Et subitò liquidas fœcundos vertis in vndas,  
 In quibus ante Ceres luxuriabat agros.  
 Non ego te tantas iras agitare putassem  
 In nautas quoties Rhene superbe furis.

Ni me cum locis ad tecta vetusta tulisses,  
Vangionum, gyris proxima tecta tuis.  
Tàm nos immodicæ iactabant fluctibus vnda,  
Naufragium vt fuerit iam propè triste rati.  
Nunc Cymba ad ripas summa vi pulsa gemebat,  
Mox visa est tergum mergere mota suum.  
Heu mihi cum reliquis quot vota precantia fudi,  
Iratoq; maris proxima vota vado,  
Donec ad ornatam generosis vitibus urbem,  
Vangionum reliquo cum grege latus eram.  
Tunc animum sumpsi, locaq; exoptata reuisi,  
Vespere sicca bonum perluit ora merum.  
Hic quoq; multa meis non iniucunda fuere,  
Luminibus cum sit clara vetusta potens.  
Cunctaq; proferrem ni me vetet altus Apollo,  
Ac versus ceptum texere cogat opus.  
Attamen ex multis vnum non ritè tacere,  
Phoebe potens etiam te prohibente queo.  
A dextro summi propè portam pariete templi  
Artifici pendet picta tabella manu.  
Continet hæc obscura sacri mysteria coetus,  
Quem prius & quem nunc fouit in orbe DEVS,  
Quid sibi cuncta velint vix scit de pluribus vnus,  
Sed mihi cunctorum dux ibi doctus erat.  
Quinetiam Argenti rebus sub nomine claram,  
Conspicuis urbem nunc memorare vetor.  
Cuius & horarum miracula, mania, turrim,  
Vidi, iam reliquas cura videre manet.  
Sed quid ego hæc? vrbes, nemorosa palatia, turre,  
Moeniaq; an quenquam nuda videre iuuat?  
Hæc etiam in patria non tot discrimina passo,  
Vel mihi, vel nostrum cernere cuiq; licet.

-119

Iura sed & leges per quas feliciter vrbes,  
Turrigeræ viuunt, curq̃ petantur habent,  
Vel studia & mores quos florida turba Mineræ  
Bellacis, vel quos turba nouena colit,  
Est uidisse labor, dulcis benè nosse voluptas,  
Et patriæ posthac commoda mille domi.  
Hæc mihi (nec Nemesim vereor) lustrare per omnes,  
Decretum est, viso dum peregrina, locos.  
Hicq̃ DEO cursum sic fortunante peregi,  
Parq̃ sicut votis fors bene fida meis.  
Vtriusq̃ sacram cognoui principis aulam,  
Propensiq̃ animi pignora certa gero.  
Te Casimire potens, & te Friderice sub ipso  
Fauste puer patruo, fauste cliente pater.  
Teq̃ Baro Herois mentis qui dotibus ardens,  
Illustras Doninæ stemmata prisca domus.  
REGali cuius formæ regale Camœnæ,  
Vnanimes mentis contribuere decus.  
Doctior an, dubium est, vel sis humanior erga  
Quemlibet, & magno charior ipse duci,  
Vosq̃ duo Comites, quorum alter munus in arce,  
Alter habet cultæ sceptræ verenda scholæ,  
Te VVambolte piæ sancti qui Principis auri,  
Conceptas verbis fersq̃ referesq̃ vices.  
Quiq̃ mihi memorandus eras Hartmanne priori  
Clare loco summa nobilitate senex;  
Plurimus Elector iam publica lucra iuuantem,  
Te studijs fido consilioq̃ videt.  
Tu mihi primus eras monstrator, te duce nobis  
Apta via ad magnos est patefacta DVces.  
Dignus es officij referas vt præmia tanti  
Aurea, sed tenuis carmina vena canit.

Nec te Grunrodi, teneri qui principis almæ  
Es præses mentis præterisse decet.  
Nec te diue senex S T V R M I populosa secundum,  
Teutonis hoc tuo quem Cicerona vocat.  
Non mihi dura fuit via, sed dulcissima ab vrbe,  
Ædes Iustranti prata per ampla tuas.  
In te omnes meritò Charites migrasse putantur,  
Summa tibi bonitas summus in ore lepos.  
Parce quòd hic tua non largo benefacta recordor  
Carmine, nam Phæbus me iubet esse breuem.  
Tu quoq; summorum cultissima turba virorum,  
Non modò visa mihi, sed benè nota viges.  
Te libet è reliquis primum numerare Grynæ;  
O laus Heluetici bina GRYNÆE soli.  
Vix merui tantum quo me es complexus amorem,  
Sed mihi vix quoq; te charior alter erat.  
Id doctrina potens, pietas & candor apertus  
Præstitit, & vocis gratia magna tuæ.  
Siue DEVM resonas: aliquis de stémate vatum es,  
Tempora seu numeras Linius alter ades.  
Non dicam hic Sohnium sancta grauitate verendum,  
Nec Iuni Hebræis te quoq; clare sonis.  
Nec te dux Themidis Paci celebrande vêtustæ  
Cuius iura pius militiamq; doces.  
Cum Stenioq; senex tu Pithopæ sodalis,  
Qui numeris nostris sæpè tulistis opera.  
Quiq; recens nobis affulges optime Posti,  
Et merite à sera posteritate legi.  
Quàm vellem Schedius Pylades quoq; fidus adesset,  
Dulcia qui Graiæ nomina gestat apes.  
Mellifluas ipsis caperem de fontibus vndas,  
E longè parca quas modò capto manu.

Miratur

Miratur Panoris Posti miramur & ipsi,  
 Quod simul haud ambos huic tenuisse licet.  
 Hoc absente venis, is te praesente recessit.  
 Culte Melisse redi, charus Orestes adest.  
 Auguror : an vates tantis cum dotibus vno,  
 Esse Thalia duos invidet alma loco.  
 HEkeli deleo quod non memoratus abibis,  
 Tuq; vigil docti dux Eberharde gregis.  
 Et tu ter summi REgis Thossane minister,  
 Qui pascis sanctos voce librisq; greges.  
 Et vos de varijs praestantia corpora regnis,  
 Tuq; Caledonij gloria Pole foli.  
 Tu mihi dilectos vel primus es inter amicos,  
 Anglia quos huc aut Gallia culta dedit.  
 Ergo tempus adest alias quoq; visere terras,  
 An mihi per reliquam par quoq; fors sit humum.  
 Sed quoq; tempus adest / iterum te docte Grynæ  
 Alloquar ) vt voces comprobet alma fides.  
 Dicere te memini postquam hanc inuenimus urbem,  
 Quæ sub inaccessis rupibus ima latet.  
 Nil esse Aonidum praesertim à parte sororum,  
 Quod praestare mihi corde libente neges.  
 Tanta fuit nobis vix tum bene gratia visis,  
 Quid nunc? plus noto cum tibi corde sumus,  
 Postulo nil aliud nisi ( si vult Phoebus ) vt extet,  
 Tale quod in quo nos contineamur opus.  
 Et te sub nobis liceat, sub teq; vicissim,  
 ( Si modo grata precor ) nomina nostra legi.  
 Contigit vt reliquis tua vel quos ante fouebat  
 Selectos, vel adhuc mensa pudica fouet.  
 Perpetuo tecum fors quamuis esse negabat,  
 Attamen ex illis qui coluere fui,

Comprobat

Comprobat hoc Elego nostrum modulamine carmen,  
Præfulgens operi vir venerande tuo.  
Fac vt nostra tui nostris cultura probetur,  
Insinuans titulis nomina nostra tuis.  
Sic lætus gratusq; tibi pro hoc munere terras  
Hinc alias Christo non renuente petam.  
Sed quorsum? Hesperium mens est quo vortice flumen  
Visere, decurrat, quidue volutet Arar.  
Pròh dolor, impediunt spumantia sanguine bella,  
Bella quibus miserè curue Garumna tumes,  
Marsq; DEAS armis perquirere durus inermes,  
Difficiles vario cogit in orbe domos.  
An Iouæ bino celebrem præcone Lemantum,  
Huic fera finitimus dux quoq; bella parat,  
Ostia seu Rheni, vel flauas Tibridis vndas,  
Hic quoq; de vario fama timore crepat.  
Aut te Varta celer, vel te pater Istula: pestis  
Hic quoq; longinquas obsidet atra vias.  
Sed quid ego hæc? nedum portus discriminis expers  
Si cui commoueat quælibet aura metum.  
Marte furente quidem terrarum personat orbis,  
Attamen est mutet qui mala tanta DEVS.  
Ibo animis contrà, cuspis virtutis acerbis;  
Fortiter obnitens plus fit acuta malis.  
Dux veterum nostro nullus viguisset in æuo,  
Tardassent mentem si fera bella suam.  
Ibo animis contrà forti duce & auspice Christo,  
Iam satis est Erato, clare Grynæ vale.

AD EVN.



AD EUNDEM

DE IPSIVS BASILEA HEIDELBERGAM

ab illustriss. Principe Casimiro  
vocatione.

ELEGIA II.



VM Ioca GRYNÆVS Nicri mon  
(tana petiuit,  
Ingemuit muris Vrbs Basilea suis  
Oreꝑ subtristi, quò te quò proripis in  
(quit ;

Præ reliquis proles charior ipsa mihi.  
Siccine me patriam contemnis, deseris, orbas ;  
Quæ laude ornari vix benè cœpta tua est.  
Siccine durato lachrymantes corde relinquis ;  
Pieridum quotquot gens studiosa fouet.  
Siccine præfractos audax contendis ad hostes ?  
Sarcasmis ludent qui tua verba suis.  
O fili, haud mihi sic reliqui fecère tuorum,  
Orbe quibus longo condecorata feror,  
Summus es & charus cunctis ; in honore senatus,  
In precio Phœbus, plebs reuerenter habet.  
Quare age, quid tibi vis ; quibus à tetalia factis,  
Commerui manibus nate leuate meis ;

C

Finierat

Finierat tandem: genius mox incipit, ipsi  
GRYNÆI lateri qui propè iunctus erat.  
Parce metu BASILEA tuo, cohibeque dolorem,  
Vaniloquum, superis vrbs bene nota choris.  
Non ea mens animo: charum tibi tollere alumnum  
Sic vt dum Viuet non rediturus eat.  
Fata volunt, diuina vocant oracula, poscunt  
Coelicolæ, reliquis vt quoque præstet opem.  
En tibi me summi seruum RECTORIS Olympi,  
Me duce diuinum ritè capesset iter.  
Hunc ego felicem ducam rursusque reducam,  
Totus ubique DEI munere tectus erit.  
Ac licet immites primis congressibus hostes  
Sentiet, ast litem non mora longa dabit.  
Mox patiens ipsi pariet victoria laudem,  
Augebuntque suum pro Ioue bella decus.  
Iste idem quem tam defixo lumine cernis,  
Charus erit Rheni Necaridumque DVCI,  
Iste sacris prolem pascet sermonibus almam,  
Imbuet & sana corda tenella fide.  
Quinetiam doctæ capti dulcedine vocis  
Conuenient, orbis quos peregrinus alit.  
Quid multa: & Nicri veterem schola tumet honorem,  
Nominaque accrescent hoc abeunte tibi.  
Hæc reputa, gratesque DEO resonato Tonanti,  
Hunc sibi de gremio quod cupit ipse tuo.  
Annuit vrbs dictis, tacito simul ore fremebat,  
Vndique circumstantis culta potensque cohors  
GRYNÆVS comiti dederant quem numina iunctus,  
Intrepido cœptum corde capessit iter.  
Peruenit ad metam, puri prælogia vatis  
Vera videt, maius pollicitisque decus.

Sic cuncta

10  
122

Sic cuncta eueniunt, fugit hostis, tecta resurgunt.  
Pieridum, fortis DVX amat, astat honos.  
O GRYNÆE sacros inter non vltime vates,  
Qui DVCIS exauges omnipotentis opus.  
Perge nec inuidiam metue, te patria tellus  
Gaudeat, & meritis vrbs BASilea tuis.  
Tu GRYNæorum cineres quorum inclyta fama est,  
Non ab hīs animo degenerante foues.  
Viue diu felix, inimicis feruidus, orbi  
Clarus, & acceptus, qui regit astra, DEO.

IN DISCESSVM TV-  
BINGA INGOLSTADIVM DAVIDIS  
Heliconij Liuoni, amici sua-  
uissimi.

*Timelicon & Philothemis colloquuntur.*

ELEGIA III.

**T**ibi me rursus præstanti ex vrbe reuersum *TIM:*  
Enuē tibi dextram dulcis amice meam.  
Dij superi quot res, quæ propugnacula vidi,  
Fortia, quæ templi robora, turris opus,  
Quale opus horarum, quas nummi fertilis ædes,  
Quantam vim frugum, quot fera tela, globos.  
Crede mihi Pœnus si nunc rediuuius adesset  
ANNIBAL, ad tantum mente stuperet opus.  
Quam verò humanum gessit se STVRMIVS ( ampla  
Tercentum hic stadij distat ab vrbe ) senex.  
Sed quorsum ? sunt hæc tibi non incognita, dic tu,  
Si quid quod posset fallere tempus habes.

**PHIL:** Longa referre mora est quæ sint mittenda sub aures,  
De ratione mei propositisq; tuas.

Accipe sed paucis quæ sit sententia menti  
Fixa, breui istius tecta relinquo loci,

**TIM:** Quid tibi vis? nec enim satis assequor, annè iocaris,  
Verba tuus risus non mihi certa facit.

Conuerso potius lapsurum flumine Nierum,  
Quam te tam subito hunc linquere velle putem.

Non tibi amicorum desunt pia vota fauores,  
Nec præceptorum defuit æquus amor.

Nulla tuas premere his odioso pectore Musas:  
Maxima sed semper cura iuuare fuit.

Vt nuper pulchris expertus es ipsemet astans  
Indicis; Themidis dum bona bella moues.

Nondum ego discessum te tam cito velle putassem,  
Præmia sed studij; quærere digna tuis.

Dignus es, & multis spes hæc crescebat amicis,  
Tâm subito cuius rumpere fila cupis.

Nonnè vides reliquos quibus haud affulsit Apollo:  
Attamen his Lauri gaudet honore caput.

Ergò mane, cohibeto pedem si seria dicis:  
Siue iocans: pariter sit iocus iste nihil.

**PHIL:** Ah nescis quæ causa abitus, quisuè hæreat imo  
Corde dolor, dicam, sed tibi solus habe.

Huc mihi se subito furiosa immisit Erynnis,  
Quem me Pyrrithoi rebar habere loco.

Me concepta fides æquo prolixius isthic,  
Deriuuit, quæ nunc tam cito versa cadit:

Non mihi sunt cordi tituli sine fruge tumentes,  
Doctrinæ studium candidioris amo.

Anglipolim redeo, quæ me mollissima fouit,  
Inde q; non renuam quo pia fata trahent.

Tu memor

Tu memor esto mei, vestri memōribo vicissim,  
 Timelicon fidus quem mihi iunxit amor,  
**TIM:** Elicis heu lachrymas dum tristi voce loquelas  
 Das tales, charus nam mihi semper eras.  
 Quid faciam? doleo tolli mea gaudia, nec iam  
 Est, quod ad hoc donem pignus amoris iter.  
 Sic properas, sic acceleras, vt vix bene signem  
 Carmina, quæ raptim moesta Thalia parit,  
 Hæc retine mea mens quotiesq; obliuia nostri  
 Obrepent animis, ista reuise precor.  
 Quote cunq; loco sistet **DEVS** intima amicis,  
 Qui nostri, dices vota salutis, erunt.  
 Dicere plura velim; sed vix tua pallia summa  
 Capto manu, gressu tam properante fugis.  
 Porrige adhuc dextram, nec te complexibus aufer,  
 Quæso meis, quoniam non dare plura licet.  
 Vade, vale, salue, ventis contende secundis,  
 Sperne malos, nostros dilige, vise tuos.

*Jeremie Kuncio Poeta Laur:*

**CVM GENEROSIS A-**  
**DOLESCENTIBVS SIENINIIS CASTEL-**  
*lani Zarnouiensis filijs Heidelbergæ Ge-*  
*neuam discedenti eiusdem*  
**PROSOPOPOEIA.**

**ELEGIA IIII.**



VÆ te fata premunt **KVNCI?** cur de-  
 seris urbem,  
 Quæ Clario reliquis par grege semper  
 (eram. C 3 Non

Non ego sum sani, quantum reor, aëris expers,  
Nec mihi sunt lites dira venena fames,  
Hic habitant Dryades, habitat GRYNÆVS Apollo.  
Et reliqui quos iam longa referre mora est,  
A tergo Princeps illustri præsidet arce,  
Qui sacra, qui Musas promouet, ornat, amat.  
Conspice quos habeam montes: HELicone sinistra,  
PARnasso à dextris tota virente tegor,  
Sæpè nouena Cohors vbi per vineta vagatur,  
Castalijsq; sacras fontibus haurit aquas,  
Ne referam vitreas lapidosi fluminis vndas,  
Me lauat, & montes quod secat arte meos,  
Dædaleum vt taceam quem Dux tenet inclytus hortum,  
Corpora quot cœlum signa tot artis habet.  
Ne numerem socios, quorum non vltimus ille est,  
Quem fouet opposita hæc è regione domus.  
Tædia ne dicam, quod paruo tollis IULO  
Delicias paruum tam citò CHRISTOPHorum.  
Nonne doles KVNCI, dùm tot numerata relinquis,  
An refugis nostri gaudia tanta loci?  
Verùm age quo tendes? fert te mens fortè sub ipsos.  
Quos fouet elatos nunc schola Sueua lares.  
Annuerem: Varijs sed sylua anfractibus horret,  
Seminaq; vt perhibet fama furoris, habet.  
Non malefana modò hæc, sed turbatoribus esse  
Fertur foeta, per hanc suscipienda via est.  
Annè illam, primi post aurum clara metalli.  
Nomina quæ multis clarior ipsa gerit.  
Huc mallet, eximij quoties benefacta recordor  
Nestoris, his quos fert terra Polona viris,  
Scis benè quid dicam, fuit illa Rector in vrbe  
Clarus, nunc vitans, spontè recessit, ERIN.

Hunc

124  
Hunc ego adhuc (verax ea si modò fama) fouebo,  
Eloquijq; ferar laudibus aucta sui,  
Sed digito labrum: vel in has contende vel illas,  
Omnes ob studij sacra frequentis amo,  
Sit via currenti facilis, sit amica dierum  
Conditio ducat teq; tuosq; DEVS  
Fundere plura velim, sed sic auriga recessit,  
Auribus vt nequeam iam dare plura tuis.  
Vade, meæ turres donec tua terga videbunt,  
Voce tibi dicent ingeminante, vale.

AD AMICOS AULÆ,  
ACADEMIAE ET VRBIS HEIDEL-  
bergensis in discessu in  
Heluetiam.

ELEGIA V.



STE salutati charissima pectora amici,  
Ad vada quos NICRI docta  
RYBINVS habet.  
Iuridici, Medici, Logici, Physicijq; sodas  
(les, (viris.  
Cumq; DEO sacris Ethica turba  
Vrbs excolta vale, cumq; Aulæ gente CAMOENÆ,  
Vos colui, à vobis nam quoq; cultus eram,  
En ego per mediã summæ discrimine mortem,  
HELVERICA aut potius GALLICA rura peto.  
Hinc furit atra lues, cum villisq; obsidet vrbes,  
Hinc prædo vmbrosas occupat ense vias.  
Dulce manere fuit, nec adhuc mansisse fuisset.  
Crux mihi sub vestro secula mille sinu.

Sed me

Sed me traxerunt præter spem fata, nec vlli  
Concessum est blanda dicere voce, vale.  
Nunc vos ( quod super est ) si viuam, dicite, viuat,  
Dicite, si moriar, mollitèr ossa cubent.  
Seu viuam aut moriar, ne sint obliuia nostri,  
Namq̃ ero vel vestri mortuus ipse memor.

HORTVLO

HOSPITIS HEIDEL-  
bergensis amœnissimò valedicens  
in discessu Argentinam.

ELEGIA VI.



IC ego carminibus ventos mulcere sole-  
bam,  
Ad NICRI streperas pratereun-  
tis aquas.  
Siue recens rapidos sol educebat ab ortu,  
Vesperis aut fessos nube tegebat equos.  
Et modo pampinea residens latitansq̃ sub vmbra,  
Nunc figens dubios per loca grata pedes,  
Hortule ( pace huius qui est Principis ) vrbis ocellè,  
En ego Panoridas teq̃ relinquo, vale.  
Tu mihi, tuq̃ meis cultissimus ocia Musis,  
Æstate, autumno, vere tepente dabas.  
Tuq̃ rosis nares herbisq̃ virentibus ardens,  
Pauisti & varij floris odore meas.  
Vrbis & aspectu fluuioq̃ ac arcis ocellos,  
Est vel ab ipso quæ Cæsare digna coli.  
Te circum hic bibulo contacta cacumina Bacho,  
Illic planiciem cernere dulce fuit.

Murmura

Murmuraq; vndarum cantusq; audire tubarum,  
 Quos geminat magni turba sonora DV CIS.  
 Si volui dextram iactu exercere globorum,  
 Strata globo celeri sæpe columna fuit,  
 Si volui Lymphas tectis è ductibus vndæ,  
 Delitiæ manibus profilière meis.  
 Si celsus pluujs toruüm spectabat Olympus,  
 Præstò est quæ seruet tergora sicca domus.  
 Picturas residens vbi contemplabar amœnas,  
 Quas docta fabri sculpsit ab arte manus.  
 Nunc quoq; quæ properant iam maturescere sæpè  
 Labia primitijs sunt madefacta tuis.  
 Vere calente vires, æstati suggeris umbras,  
 Autumnno sãpidi dona liquoris habes.  
 Iam vale, & exurgas quouis fœcundior anno,  
 Et vigeas domino tempus in omne tuo.

*Ad Lunam,*

IN NOCTVRNO ITI  
 NERE CVM CONTERRANEIS MER-  
 catoribus ex Lotaringia Franco-  
 furtum ad Mœnum in  
 Hassiam.

ELEGIA VII.



VNA decus noctis, pulcherrime noctis  
 (ocelle,  
 Quæ cali à Phœbo proxima regna  
 (tenes.  
 Cur tegis humentes nebula caliginis ignes  
 An nunc SAVRomatis corda sini  
 (stra geris? D Exere

Exere candidulos ô formosissima vultus,  
Exere, & umbriferæ dirige noctis iter,  
En curru partes miseri lætamur in omnes,  
Planicie errantes deficiente rotas.  
Anfractu & flexo radice minante ruinam,  
Ne vertat casu nosq; rotasq; graui,  
Heu mihi vix dixi tellure cubamus in ima,  
En currus versum stat super axe latus.  
O mea dextra quid es subito percussa fragore,  
Fracta nè vel solitis es modò mota locis:  
An non te miseret Virgo, potes an mala vatis  
Fata tui siccis cernere luminibus?  
Me Claræ semper cum Phœbo arserè sorores,  
Tantillum lucis tu mihi sola negas.  
Tollite quæso rotas, & lapsum sistite currum,  
Ne socij coeptum nosq; moremur iter.  
Pergimus, laudq; minus LVNA euanescere pergis,  
Siccine nos tenebris conglomerare paras?  
Sed video quid sit: stellis aurora fugatis,  
Accelerat clarum reddere luce diem.  
Incipit & pulsa iam nocte rubescere cœlum,  
Palpitat & solitus lumina lassa sopor.  
Quis credat leuius quòd parua crepuscula Solis,  
Quam LVNÆ, præstent integer orbis, iter.  
Phœbe redi verumq; bonæ iubar exere lucis,  
Pallida luna vale, candide Phœbe redi.



AD ADAMVM

AD ADAMVM ROSKI  
EQVITEM LITVANVM

conspicuum, Norinberga Vien-  
nam Austriae pe-  
tentem.

ELEGIA VIII.



EV S ROSCI claros inter benè nos  
( te sodales.

Quo fugis, an nos hic linquere fata  
( iubentè

Fata iubèt, dices, alias quoq; visere terras  
Iam benè Noriadū moenia nota soli.

Id fieri fateor fatis, sed non tibi fata

Quem fugias ponunt, quo maneat sue, locum.

Quis petere hanc cogit, rapidus quam præterit ISTER.

Quis DEVS est huius causaq; duxq; viz?

Illic, vt perhibent, contagio regnat acerba,

Infcit heu iuvenes, infcit illa senes.

Leucoridum potius sectatus casta fuisses,

Quæ citus altifluis irrigat ALBIS aquis.

Aut aliqua eximè tenuisses ostia RHENI,

Nympharum pulchris condecorata bonis.

Fontibus ex ipsis NECTAR, CLariumq; bibisses

Succum, quo ditat pulcher APollo suos;

Quid tibi cum duri populis ac vrbe Gradiui,

Sub qua Thracigenū sæpius arma crepant?

Nonnè erit vtilius placidas perquirere tersas,

In quibus absq; metu lenta THALIA viget?

Sed quorsum ambages & coeptis insistere fas est,

Propositaq; decet pellerè vela ratis.

Pergendi quoniam sub moenia lata VIENNÆ,  
 Mens immota tibi consiliumq; manet.  
 Vade, pete obsessam vallis insignibus urbem,  
 Quæ toties Arabum cum IOVE fregit opes:  
 Vade, nouemq; vigil serui cum laude DEABVS,  
 Inuigilasse quibus pectora nulla piget.  
 Vade memor turbæ cuius mihi vendico partem,  
 Hactenus hic tecum cui fuit vnus amor,  
 Te DEVS ætherei cui paret fabrica cœli  
 Protegat, & cœptis det bona verba tuis.  
 Nec modoper CLARIAS fortunet vota CAMœnas,  
 Sed quoq; non ficta relligione beet.  
 Donec ab exculto missus grege lucra reportes,  
 Et redeas diua præditus arte domum.  
 Iam vale, & (absentis quod pulchrum munus amici est)  
 Huc tua fac crebro littera missa volet,  
 Magnopere inceptum sic exaugebis amorem,  
 Proq; vnis ROSCI scripta quaterna feres.

**AD GENEROSISS. IUVENEM VVITOSLAVIVM PEREGRINATIONIS**  
*comitem fidiss. Praga in Italiam pergentem.*

ELEGIA IX.



VM latam linqvis fatis retrahentibus  
 (urbem,

ALBERTE à teneris semper a-  
 mate mihi.

Pieris alma tibi, quibus haud præsentem  
 sodali,

Oblectes mentem paucula verba de,  
 dic. Accipe

127  
Accipe nam fido tibi sunt e corde profecta,  
Accipe nam fausta sunt quoque vota viz.  
Utque essem breuior paucis comprehendere visum est.  
Quae nunc effari me tibi DIVA monet.  
Contende ulterius crinitique atria Phoebe  
Perlustra, eoque sacris fontibus affer aquas.  
Vade, virosque novem decoratos laude DEARVM,  
Doctior ut fias, nocte dieque cole.  
( Adde fidem dictis ) solidas nil tam iuvat artes,  
Quam laudatorum semper adesse choro.  
Dic cur ad patrios multi rediere penates,  
Non alta quam qua mente fuere domi.  
Nempè quod à caelo tantum cessere priori,  
At mentem nullis excoluere bonis.  
Nil igitur prodest varijs spaciari oris,  
Si non cum doctis sit simul vna domus.  
Excipient ergo cum te penetralia doctis  
Foera viris, cultro totus adesto gregi,  
Sic DEVS eximjs fructum conatibus addet,  
Nec rudis in patriam deinde redibis humum.  
Sic DEVS aligeris cinget custodibus ipse,  
Quorum festa pijs lux hodierna vehit.  
Interim ad AV Soniam donec proficisceris oram,  
Sit via currenti prospera tota tibi.  
Neve petant casus quorum solet esse viator  
Campos, cui Superi non bona corda gerunt.  
Incolumis tangas metam, studijque reportes  
Excelsi saluus commoda mille domum.  
Plura darem, sed iter, cursusque brevisimus horz,  
His me contentum versibus esse iubet.  
Pergito & EV Ganeas felix lustrato CAMoenas,  
Hinc patriam Superum nos repetemus ope.



AD JOANNEM LASI-  
CIVM VIRVM CLARISS. CVM IL-  
lustribus Iacobo, & Andrea à Krotos-  
sin, Palatinidibus Inowladisl. Ura-  
tislavia Argentoratum  
proficiscentibus.

ELEGIA X.



AVA relicturus BRESLÆ fœcun-  
(da politæ,  
Vestraz pauca via carmina nostra  
(petis.  
Efficiam, quid enim non præstet amicus  
(amico?  
Vota licet venæ sint <sup>tua</sup> ~~tibi~~ dura meæ,  
Vespere significans solis discedis in ortu,  
Collige quam subito hoc fundere cogor opus,  
Quam nunc cumq̃ tuis avidus contendis in urbem,  
Hæc sua ab argento nomina clara gerit,  
Ut taceam muros, splendorem, robor, turres;  
Diuitias, promptum ius, fora, sacra, focos.  
Magna hæc sunt, sed sunt quædam maiora: DEARUM,  
Culta nouem est illic & fuit ante domus.  
Grata fuit domus hæc homini, populosa secundum  
TEVtonis hoc zuo quem Cicerona vocat.  
Heu mihi

Heu mihi quot nostræ formavit gentis alumnos,  
 Et summos fecit voceq; req; viros.  
 Laudo tuam mentem LAsici, laudo tuorum,  
 Quod properant tanti uisere tecta gregis.  
 In patria quamuis benefidos linquis amicos,  
 Qui tibi non ficta dexteritate fauent.  
 Sed pete, sæpe tuis proprijs præferre necesse est,  
 Lucra iuventutis quam tua cura fouet.  
 Sæpe, ( quod ipse diu cernebam ) docta videbis  
 Iam nunc eloquio principis ora senis.  
 Carpe viam, coniunge tuos profiscere Viadrum  
 Desere, quas RHENV S vise, recondat aquas.  
 Sit rota, sit currus vobis auriga fidelis,  
 Hospes amicus, equus fortis, amœna dies.  
 Plura darem, sed nec̄to moras, iam claudere præstat  
 Voce solent claudi qua bona vota, VALE.

*AD ILLUSTRES O-*  
*stroroganos Comites Dn. in Kozminek di-*  
*scipulos suos, dum ab ijs in patriam*  
*reductis, Cracouiam discederet.*

ELEGIA XI.



ST aliquid certè generoso stemmate nasci,  
 Ad magnosq; suum posse referre genus,  
 Tunc animi virtus rebus quæ seruit agendis  
 Crescit, & ærati calcaris instar adest.  
 Tunc via sit facilis præclare cuncta gerendi,  
 Dum modò quem paulùm mens generosa regat.  
 Grande genus vehit ad laudes: exileq; multis,  
 Quo minus asspirent ad grauiora, nocet.

Et vos

ET vos ð Iuuenes blandis aspexit ocellis,  
Qui maria ac terras & tenet astra DEVS,  
Esse dedit prolem spectati laude parentis,  
Et propria, & veteris nobilitate domus.  
Namq̃ vt nunc taceam claræ primordia gentis,  
In solo patre vos quod cohonestet erit.  
Ille vel Heroꝝ præsens virtutis imago,  
Vel studij vobis & pietatis adest.  
Seu mores vultis? vix illo pulchrior æquis  
Moribus: & populo charior alter erat.  
Sive artes: harum tanto flagrauit amore,  
Quo solet is, Phœbi cui pia turba fauet.  
Mox prima coluit Graias ætate CAMœnas,  
Et Latias simili relligione DEAS.  
A quibus excultam doctrina diuite mentem  
Obtinuit: studij præmia pulchra sui.  
A quibus edidicit formosa effingere verba,  
Ausonio, Græco, TËVtonicoq̃ sono.  
Quæ pietas fuerit, quæ coetus cura tuendi  
Christiadum: testis turba superites adest.  
Sed quid ego hæc? quorum vos met meminisse potestis,  
Est bene nosse patrem posteritatis opus.  
Restat vt æquali vestigia fortia patris,  
Ex vobis studeat tangere quisq̃ gradu.  
Non etenim satis est magni prolem esse parentis,  
Si non virtutis proprius ornet honos.  
Ista precor memori certaq̃ infigite menti,  
Illustres posthac vt referatis auos:  
Iam bene cœpistis reliqui fundamenta cursus,  
Nunc constanter in hoc pergere tempus erit.  
Iam bona sumpstis de præceptoribus æquis,  
( Inter quos ego pars quantulacunq̃ fui )  
Et stu.

129

Et studij & morum Latine documenta & linguæ,  
Quam nunc præ reliquis arctius orbis amat,  
Nunc magis atq; magis fato fundate secundo,  
Doctrinæ vnanimes vltioris opus.  
Non vos destituunt discendi ex ordine causæ  
Impensæ, tempus, mentis, acumen, opes.  
Quodq; magis mirum: vobis ex omnibus vnus  
Non est, qui MVSIS corda inimica gerat.  
Est hæc, est, fateor clementia rara TONantis,  
Ingenij ex æquo quenq; valere bonis.  
Ergo fidentes animis data munera Diuum  
PIERidum æternis amplificate sacris.  
Nec cadat in mentem medio desistere cursu,  
Vt miserè ex nostris plurima turba solet.  
Qui vix dum soluant NYMpharum à litore puppim,  
In medijs rumpunt vela furenter aquis,  
Vos autem non sic: si gloria clara parentis  
Magnanimi, atq; artis vos sacra fama manet.  
Hactenus in studijs tincti mediocriter estis  
Quæ benè, distinctè, dicereq; apta docent.  
Nunc porò ex animo firmis contendite plantis,  
Huc vbi CASTALIj sunt iuga summa chori,  
Vfus paulatim data iam præcepta sequatur,  
Quo sine nil studijs inuulgasse iuuat.  
Notitæ vocum res illas iungite, quarum  
In uita posthac maximus vus erit,  
Non ars quæq; decet sublimi stirpe creatum,  
Propria sed generi conueniensq; suo,  
Hæc oratorum est præstantibus abdita libris,  
Inter quos primum quis Cicerona neget?  
Hunc hunc ex animo generosi reddite amicunt  
Discipuli, vestrum sic benè cedit iter.

E

Quem

Quem latet hic docti non est cognomine dignus,  
Non habet huic LATium voceq; req; parem.  
Deligite hinc comites, quorum sapientia nomen  
Præclarum magno fecit in orbe, viros.  
Hi sine blanditijs quid turpe & quid sit honestum,  
Vitaq; monstrabunt quo sit agenda modo.  
Nec non Historias vitæ morumq; THEatra  
Egregia: intenta voluere mente iuuat.  
Nil magis eximijs decorat maioribus ortum:  
Fortunæ varias quàm benè nosse vices.  
Quod cum prisca ferant veterum monumenta virotum,  
Hæc quoq; non tardo sunt adeunda pede.  
Me quoq; quod potero præsto haud dubitate futurum  
Vobis, nos donec viuere fata volent.  
Sic dabitur fausto metam contingere gressu,  
Sic cœptum optato sine quiescit opus.  
Ista loco strenx super anni fausta futuri,  
Auspicia & volui pignoris esse loco.  
Accipite vnanimis hoc præceptoris amicum  
Munus: qui forsan postea plura dabit.  
Este mei memores, qui non modo corpore ptæsens,  
Verum absens, animo deniq; vester ero.  
Hoc meruit bonitas naturæ candida vestræ,  
In qua si perget quisq; beatus erit.



AD REVE,

AD REVERENDVM  
 ANTIISTITEM CHRISTOPHORVM  
 Musonium primum præceptorem, in se-  
 cundo Lipsia reditu de intemperie  
 itineris Pol. pestis  
 tempore.

ELEGIA XII.



ESINE mirari tibi quod vir docte le-  
 (genda,  
 Traditur imparibus littera missa mo-  
 (dis,  
 Ipse dicare aliquod te discedente paraba,  
 Discipulum gratum quod bene mo-  
 stret opus.

Fata negauerunt, subito discessimus ipsi,  
 Quod dare debuimus nuncius ecce gerit.  
 Venimus ad POSNÆ superis comitantibus urbem,  
 Misericordiam postquam non male celsit iter.  
 Egressi primæ noctis transegimus horas.  
 Hic vbi NIColei nomine pastor adest.  
 Pastor Christicolis ouibus bene natus alendis,  
 Qui nostram dudum nouit amatq; domum.  
 Coenati noctem tum fallebamus euntem.  
 Miscendo varijs seria multa iocis. (& almæ,  
 Nunc quid ARar, quid RHEnus agat, quid NICrus  
 Quas fouet haud paucas TEVtonis ora, scholæ.  
 Nunc quo celsit iter pacto, quas vidimus vrbes,  
 Sitne lues illis vel fera bella locis.  
 Nec DVCIS Hesperij varias negleximus artes,  
 Quis ANTVerpiacas excruciat opes.

Hos duo

Hos duo nos donec suasere cadentia somnum  
Sydera, miscuimus nocte silente sonos.  
Sternitur interea lectus cunctisque coactis,  
Dantur supremo debita vota DEO.  
Surgimus; at mox nescio quid mirabile dictu,  
Commouit membris tædia dura meis.  
Non dolor ullus erat, tantum suspiria pulmo  
Crebra dabat, pulsus cordis & acer erat.  
Quid faciam? grauis est ipsam metuentibus umbram,  
Terrigenis morbi mentio parua mali.  
Disimulo, lectosque peto, mens cogitat ægra,  
Mille mala, & varia suspicione tumet.  
Vel quod se exeruit rapidi uis atra veneni,  
Ex ægris vegeto corpore tracta locis.  
Aut aliud quiddam: nec tam torquebar acerba  
Cura, quam vulgi suspicione miser.  
Heu mihi quis sudor fuerat, quæ vota precesque,  
Maximo, ut auertat tam mala fata, DEO.  
Postera lux oritur, ducens suspiria surgo,  
Et renouo cœptam sole micante viam.  
Peruenio G N E S N A M cui fertur LEChus abactis  
Arboribus primas constituisse domos.  
Nulla fides dictis, vix portis transitus ipsis,  
Certa vix quamuis littera testis erat.  
Multis chirurgus, multis P O S N Æ institor vrbis,  
Ast alijs onerans tergora SCotus eram.  
Vix ibi frugiparæ duo vel tria frustula NYMphæ,  
Faucibus inuitis imposuisse lubet.  
Progredimur, nox atra suas se pandit in alas,  
Quamque mihi optabam non propè villa fuit.  
Peruenio KLECKAM, quam Gnesna passibus, alma  
Mille sitam, retinet CZARNKouiana domus.

Nox

131

Nox ruit, hic iterum parua prohibemur ab vrbe,  
( Heu quantum pestis dira timoris habet. )  
Nulla datur statio, vix duro à consule fufca,  
Impetro noctis tempore in vrbe regi.  
Mane nouo tandem Soli cedentibus astris,  
Extremam pergo continuare viam.  
Hic est à duro mens respirare labore,  
Et mollire grauis ex dia longa vix.  
Donec languidos nutrire heatior artus  
Spiritus expulſis ignibus incipiet.  
Tu verò cuius vultum mihi fata negarunt  
Longius, hæc cupido lumine quælo legas,  
Cum veniet mecum nunc peste obſeſſa ſupellex,  
Tum plures voces ore libente dabo.  
Et quæ ſunt mihi viſa loquar: varioſq; labores  
Quos curæ & longum ſæpe creabat iter.  
Gratia ſit IOVÆ qui ſuſtinet omnia, quod nos  
Per media ipſe ſua funere duxit ope.  
Tu quoq; cui mos eſt populo bona cui cæta precari,  
Dic pro diſcipulo nunc bona verba tuo.  
Neuè mihi iuueni ſtammas extingue fauoris,  
Cuius amor puero non ſimularus erat.  
Namq; ego cuncta prius tibi quàm benè velle relinquã,  
Id certe è reliquis prime magiſter habe.  
Iam ſatis, en grauido repleta eſt pagina verſus:  
Tempus vt adijciat dextera feſſa VALE.



AD JOANNEM ET  
CASPARVM GIRENBERGIOS, LEA  
Etissimos iuuenes: Dn. Danielis Cirenber-  
gij Consulis Gedanensis filios, Dan-  
tisco Cracouiam dis-  
cedentes.

ELEGIA XIII.



RIBITIS ad CRACI Superis comitantib  
( bus urbem,  
Ibitis Heroi pignora bina patris.  
Nec vos immitis terrent fera frigora  
( Brumæ,  
Nec tam marmoreæ copia dēsa niuis.  
Non intemperies remoratur amara viarum,  
Non venti & syluæ syluicolæq; feræ.  
Scilicet id præstant claro promptissima patri  
Obsequia, & monitis indubitata fides.  
Namq; eius veſtrûm quis non pia iussa sequatur,  
Cui tremit ad nutus vrbs populosa graues.  
Namq; eius veſtrûm quis non pia dicta sequatur,  
Ad vera excelsum qui bona monstrat iter.  
Felices patre hoc pueri, cui principis ora,  
Mens Phœbi, Pylî cor grauitate micat.  
Felix his genitor natis quibus alma DIONE,  
Indolis eiusdem femina larga dedit.  
Semina larga dedit laudisq; artisc; futuræ,  
Qua decoras Clarios candide PHœbe duces;  
Esto fides dictis, decus hi sunt lausq; cateruæ,  
Hic quæ GYMnasij pocula docta bibit.

His igitur

132<sup>20</sup>

His igitur latas celsis Academia muris,  
His vrbs de CRACI nomine pande fores.  
Hos fuga non ad te non noxia corda fatigant,  
Ocia nec stupidæ sordida mentis agunt.  
Sed visendi alios ritusq; situsq; cupido,  
Et varios dandi non sine mente sonos.  
Concitat hos stimulos morum generosus & artis,  
Principium cuius non tibi vile ferunt.  
Pande igitur schola docta fores, tibi pulchra propinquat  
Ordinibusq; tuis auctio, pande fores.  
Vos AGanippæi iunctissima corpora fratres,  
Excipite hæc alma pectora bina fide.  
Et grauida ingenij studijq; remittite patri.  
Qui CYREbergiacis inclytus extat auis.  
Id vos NEREides vasti sacra numina PONTI.  
Id DANtiscicolùm vos schola summa rogat,

AD MATTHIAM MA-  
IUM VIRVM ORNATISS.  
de rebus suis Erphordia Posnani-  
am sub peste de-  
uectis.

ELEGIA XIII.



M AIE mihi charos inter charissime amis  
(cos,  
Scis nunc in patria fors mea quæ sit  
humo.  
Vix bene transcendendi dilecti limina patris  
Artus inuasit febris anhela meos.

E 24

Hæc iam

Hæc iam tot flamma furit inclemente diebus,  
 Quot complet circum candida LVNA nouum,  
 Febris at vnde feros quæris? collegerit ignes,  
 Hanc mihi multa grauis damna dedere vix,  
 Heu mihi quos ægro percoxi pectore curas,  
 Quam mala sub tenebris sæpè reperta quies.  
 Parcus erat nummis, carusq; auriga vehabat,  
 Per mediam fuerat transitus ipse necem.  
 Nunc esset de peste domum reuehenda supellex,  
 Sed morbus claudit sæuaq; fata viam.  
 Si potes hac in parte tui ne vota RYBINI  
 Neglige. cunctantes nec patiare inoras,  
 Fac vt vel tutus teneat res angulus, aut has  
 Quamprimum tantis eripe MAIE malis.  
 Id per POSNIacos faciet tua littera fratres,  
 Vincleriana quibus cognita tecta puto.  
 Is sociusq; vix fuit, est vicinus & istis,  
 Cum quibus è Franco venimus orbe viris.  
 Per te perq; tuum paruum posco atq; reposco,  
 Infecta ser opem rebus in vrbe meis.  
 Gratius haud quicquam poteris præstare sodali,  
 Qui tuus vt fuerat sic tuus vsq; manet.  
 Quod superest valeas, quam nunc ego mollius atq;  
 Me stabilis semper plenus amoris ama.



AD DR

133

1151. 804B

